DIVINA ADSPIRANTE GRATIA!

DISSERTATIO PRACTICA *DE* CURATIONE HYDROPIS ASCITIS,

potissimum de παρακέντησι, agens.

Hanc

consentiente illustri Asclepiadeo ordine in florentissimo Athenæo Salano,

exercitii gratiâ

SUB CLYPEO

VIRI

Nobilissimi, experientissimi

DN. D. GUERNERI ROLFINCII,

Philosophi & Medici eminentissimi, Chimiæ & Practices P.P. celeberrimi, Academiæ Salanæ Senioris gravissimi,

Domini Præceptoris, & Patroni sui æviternùm devenerandi,

placidæ Φιλιατρῶν *ventilationi submittit*


BARTHOLDUS SIMON,

HAMBURGENSIS.

ad diem *Anno M DC LXVIII.*

In Auditorio Medico.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.



D. O. M. A.

DISSERTATIONIS
De
HYDROPIS, ASCITIS SACRA ANCHORA PARACENTESI,

CAPUT I
continet præloquium.



Ravis est sententia *Democriti*, quâ utitur in colloquio cum summo dictatore *Hippocrate*: οὐχ ὁρῇς, ὅτι καὶ ὁ κόσμος μισανθρωπίην πεπλήρωται: ἄπειρα καὶ αὐτέῳ πάθεα ξυνήθροικεν. ὅλος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστίν. i. e. *Nonne vides mundum ipsum inhumanitate redundare, & infinitas adversus hominem affectiones cumulare? Totus homo ab ipso ortu morbus est.*

Mundus in unius hominis gratiam factus, videtur odio in ipsum plenus, singulis tribus ipsius ventribus & artubus nullo non momento graves insidias struens.

Id experitur infimus venter partes nutrimenti elaborationi, & naturalissimo operi perficiendo destinatas complectens. Variis illum morborum insultibus esse expositum, etiam ii, qui medicinam vix à limine salutarunt cognitum habent & perspectum.

Inter hos, qui furioso impetu vitam sanitatemque no-

ſtram feriunt & oppugnant, haud poſtremum ſibi locum famoſiſſimus morbus hydrops dictus vendicat.

Hic tanto horribilium ſymptomatum ſatellitio ſtipatus incedit, ut ſenſim & ſenſim regis microcoſmi metropolin expugnare, ipſum microcoſmum deſtruere, vires depopulari, ſpiritusque obſeſſis reſpirationis organis ſuffocare audeat.

Ad hujus morbi atrocitatem debellandam à medicis varia medicamentorum genera excogitata ſunt.

Hippocrates diætâ utitur exſiccante, & circa finem libri *de victus ratione in morbis acutis* hydragogum ex cantharidibus conficit.

Alii propinant ſirupum radicis ireos florentinæ *cum Dominico Leone*, qui omnem hydropem arte medicâ curabilem ejus uſu ſanari arbitratur.

Nonnulli radicem aſari in conveniente liquore porrigunt. *Kotſack, tractat. de ⊖e ſect. 14. capit. 6.* ſcribit, ſe ejus uſu multos integræ ſanitati reſtituiſſe.

Alii lixivium ex ſarmentorum, juniperi, & vitium cineribus paratum, aromatis & ſaccaro conditum in uſum trahunt.

Nonnulli confugiunt ad decantatiſſimum illud depuratum ⦶, à nobiliſſimis inflammatis faucibus medendi virtutibus ſal Prunellæ dictum, quo nonnulli malum hoc feliciter debellârunt.

Chimiæ periti ſummis extollunt laudibus Lunaria medicamenta. Ut Luna humorum, marium, & aquarum domina, principatûs in throno ſummo locata, illis limites & terminos, occaſus & ortus ponit, ita etiam illa in microcoſmo motibus humorum naturalibus, & debitos carceres excedentibus frena laxare & attrahere volunt. Extollunt inter ea magiſterium ☽æ & ☽nam potabilem.

Cùm verò omnia hæc ex pharmaceutico fonte deprompta medicamenta ſæpe expectationi non ſatisfaciant, gloriæ campum invenit illa medicinæ pars, quæ manu medetur, χειρουργία dicta, & jus præcedentiæ ob fauſtos rerum eventus illis medicinæ partibus, quæ victu medentur, & medicamentis, dubium reddit.

Sicuti

Sicuti non ſemper arietibus pugnamus, ſed tormentis & aliis machinamentis hoſtem invadentem repellimus ; ita etiam ſolus fons pharmaceuticus non ſemper ſatis eſt ſufficiens diræ morbonæ paria facere, ſed ſæpe chirurgica præſidia ſunt in conſortium adſciſcenda.

Hæc aſciticis ſæpe ἀπὸ μηχανῆς ſacra apparet anchora, & incantamenti inſtar gravi hoc morbo preſſis , aliis remediis in caſſum adhibitis, ſuccurrit, eâ providentiâ ut his ſolis ſubveniat, nulli vero alii hydropis ſpeciei, *autore Paulo Æginetâ lib. 3. cap. 48.* & quidem tantâ felicitate, ut ſcribere non ſit veritus *Aetius tetrabiblo 3. ſerm. 2. cap. 30. Omnibus medicamentis in hydropis ſpecie aſcite dictâ efficacius auxilium chirurgia præſtat.*

Gravis eſt ſententia Hippocratica *in aphoriſmis.*

Quæ medicamenta non ſanant, ferrum ſanat.

Confirmat idem *Celſus* ſcribens : *Quicquid medicamentis evinci non poteſt, id ferro & igne corrigitur.*

Vetuſtas cum ſummam videret chirurgiæ in profligandis morbis & externis, & internis, cùm utilitatem, tum neceſſitatem, nihil habuit prius, nihil antiquius, quàm eam excolere, & poſteritati tradere.

Nobis hæc benè trutinantibus decens viſum eſt operationem quandam chirurgicam haud incelebrem pertractare, quæ παρακέντησις dicitur.

Hic noſter labor & opus inceptum ut ex voto ſuccedat invocabimus DIVINUM NUMEN juxta monitum *Hippocratis,* qui ita *lib.* περὶ γυναικείης φύσιος ſcribit : Δεῖ τὸν ὀρθῶς ταῦτα χειρίζοντα, πρῶτον μὲν ἐκ τῶν θείων ἄρχεσθαι, i. e. *Eum qui probè tractare volet, primum quidem à Divino Numine initium ſumere oportet.*

Largiatur ergo nobis Altiſſimus ſuam Clementiam, & inceptis noſtris faveat. In ejus nomine & auſpicio ponimus

CAPUT II

definitionem ὀνοματώδη exhibet.

SUnt nonnulli, qui cum superciliosis nominum contemptoribus, posthabitâ verborum & nominum ratione statim in ipsa rei penetralia tendunt.

Verùm hi minus sapere videntur, quippe à nominibus in rei perceptionem pervehimur, *teste Galeno lib.* μεθόδου θεραπευτικῆς *cap. 5.* ita scribente: ἐπὶ πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τὸ ὄνομα: *in omnibus, de quibus quæritur, in rationem oportet adsumi ipsum nomen.*

In genere omnis punctio παρακεντήσεως nomine denotatur. Hæc cum in variis partibus fiat, operæ pretium esse duximus, prius explicare, antequam ad alia descendamus, de quâ in specie verba facturi sumus, ne nomen dubium cuidam moveat.

Nomen παρακέντησις attribuitur etiam nobili isti operationi chirurgicæ, quæ ad herniam aquosam profligandam administratur; *teste Castello in lexico medico*, de quâ etiam multa legimus apud *Hieron. Fabric. ab Aquapendente lib. 1. de tumor. præt. nat. cap. 27.*

Dicitur paracentesis & illa apertio, quæ in empyemate ad omnem puris abundantiam educendam, quæ collecta est intra capacitatem thoracis, instituitur. De eâ agit *Riolanus in encheirid. anatom. lib. 3.*

E medicorum antiquorum turbâ nonnullos hoc nomen etiam assignâsse punctioni, quæ peragitur in suffusionis oculorum curatione, testis est *Sennertus, vir supra laudem positus lib. 5. institut. part. 1. cap. 7.*

Adhibetur præterea si copiosus humor in pericardio colligitur, qui suffocationem affert, & cor obruit, *auctore Riolano in encheir. anatom.*

Exerceri eam quoque posse in tympanitide autumat *Fabric. ab Aquapendente lib. de operat chirurg.*

Laryn-

Laryngotomia à *Fonseca* pariter παρακέντησις dicitur.

Hanc quoque felici cum successu adhibitam fuisse aliquoties in hyposarca testatur *Schenckius lib. 3. obs. de hydrope*. Vide etiam *comment. Hollerii in aph. Hippocr. 27. lib. 6.*

Verum de his omnibus non erit sermo, sed tantum de eâ paracentesi h. l. in specie acturi sumus, quæ in hydropis specie ascite nominatâ contingit, quæ celebris est & vetustissima ad diluvium microcosmicum educendum, quæ & generis nomen retinuit, cujus quoque *Cous* mentionem fecit *lib.* περὶ τόπων, *de locis in homine, 6. epidem. s. 7. text. 8.*

ΣΥΝΩΝΥΜΙΑ notatu digna. Præter paracentesin alii plura operationi huic imponunt nomina.

PERFORATIONEM abdominis cum *Massaria, capite de hydrope, & Aquapendente libro de operat. chirurgicis* vocant recentiores.

Alii eam apertionem abdominis nuncupârunt.

In Gallicâ lingvâ exprimitur piqueure, ponction costiere, ou paracentese. Vide *Andr. Laurent. lib. VI. anatom.*

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑ agmen claudit, & παρακέντησις derivationem suam habet à præpositione παρὰ & verbo κεντέω, i. e. pungo.

CAPUT III
definitionem subjungit πραγματώδην.

Probè perspectâ & cognitâ difinitione nominali, necesse est, ut ad realem nos convertamus. Definitur optime ita:

Παρακέντησις est solutio continui partium carnosarum, præcipuè abdominis, arte quâdam singulari cujusdam periti chirurgi, & adminiculo instrumentorum instituta, ad omnem humoris aquosi, & vitiosæ materiæ in abdomine stagnantis abundantiam eliciendam.

GENUS seu RATIO FORMALIS λύσις τῆς συνεχείας rectè constituitur.

Cogi-

Cogitandum nunc, ad quam operationum chirurgicarum speciem hæc solutio continui sit referenda.

Nos optimo jure eam ad speciem, quæ *διαίρεσις* dicitur, reponimus; cum partes carnosæ ventris inferioris conjunctæ & continuæ dividantur.

Hæc λύσις τῆς συνεχείας maximè ut genus hic locum habet. Sive enim abdominis perforationem, seu divisionem, vel apertionem dicas, perinde erit, & res eôdem recidet; Quippe absque continui solutione nullo modo dicere licebit.

Hæc λύσις τῆς συνεχείας instrumentis arte chirurgi peracta à nobis dicitur; ad evitandam eorum censuram, qui solutionem continui, cùm quid sit præternaturale, & numero tertii morborum generis annumeretur, generis loco incongruè à nobis poni, objiciunt. Sanè longè alia est hujus, quàm præternaturalis solutionis ratio. Non administratur, ut anima ægrotantis ad loca silentum penetret, sed ut sanitas amissa restituatur.

Humores vitiosos & aquosos educit, dum illa materiæ serosæ, aquosæ & corpori alendo planè inutili in capacitate ventris inferioris generatæ, conclusæ, & partes nutritioni dicatas corrumpenti patentes exeundi fores aperit.

CAPUT IV

τὸ ὑποκείμενον, subjectum exponit.

DE subjecto paracenteseos constituendo, ut simus solliciti, artis lex imperat, & svadet, ne illotis quasi manibus ad ipsam operationem accedamus.

Qui enim istius cognitionem non habet, & tamen ægrotantes sanare vult, cœco viam ignoranti, & tamen baculo eam inquirenti optimo jure est comparandus, ut censet nonnemo, non minus benè quam eleganter.

Subjectum primarium apertionis tertium ventrem constituimus. In eo enim hæc operatio chirurgica, encomiis non satis deprædicanda, locum habet. Verum

Verùm ſerra contentionis inter medicos clariſſimos reciprocatur, quæ pars abdominis pro potiſſimo ſubjecto ſit agnoſcenda.

Sunt, qui volunt, pro ſubjecto primario eſſe habendum umbilicum, eumque perforandum eſſe. Horum ferè agmen ducit *Andr. Laurentius*, Quant à moy, ſcribens, j'eſtime qu' elle ſe peut faire plus à propos au milieu du nombril. i.e. *Quod ad me attinet, exiſtimo illam optimè fieri poſſe in medio umbilici. vide lib. 6. anatom.*

Hunc *Carolus Piſo in tractat. de morbis à ſeroſâ colluvie ortis, & Gvilielmus Fabricius cent. 1. obſ.* ſecuti ſunt. Quid autem de hâc apertione ſtatuendum, dicetur *cap. 9. noſtræ diſputationis.*

Aliis ſubjectum interdum eſt ſcrotum, & pro loco punctionis habetur convenientiſſimo, inter quos *Maſſarias* fermè primum occupat locum. Putat enim eam dignam, quæ revocetur, cum absque ullâ moleſtiâ, ſine ullo vitæ periculo, & cum ſummo emolumento aqua in abdomine coacervata evacuetur. Hanc ſententiam *Platerus* amplectitur.

Ibn Tſina canonis libro 3. ſectione 14. tractatu 4. cap. 13. non unum obſervat locum. Si hydrops generetur ex partibus juxta inteſtina locum habentibus, aut cauſa eſt in inteſtinis, jubet facere ſectionem rectam ſub umbilico tribus digitis diſtante; Si fuerit ex latere hepatis, fiat inciſio à latere ſiniſtro. Si lien laboret ac tumidus ſit, à dextrâ parte ſub umbilico tribus digitis ſimiliter.

Communi conſuetudine receptum ad latera ſub umbilico pungere. De his *cap. 9. hujus diſſertationis* fuſius.

CAPUT V

cauſam annectit.

CAuſa hujus operationis nulla accuſari poteſt alia, quàm hydrops, cui hoſti tam crudeli ſeculum hoc noſtrum luxu pene diffluens januam ſatis patentem aperuit.

Ad eum removendum ſæpe cogimur nobiliſſimam hanc operationem chirurgicam aggredi.

Quippe hujus beneficio optimè infimum ventrem à saburrâ vitiosorum, serosorum & aquosorum humorum, qui à debilitate viscerum internorum producuntur, atque inter peritonæum & omentum, tanquam in utre quodam cum paucissimo spiritu continentur, liberamus.

Imò hâc adhibitâ haud raro ægrotantes alterum pedem jam in cymbâ Charontis habentes, qui nullis aliis remediis generosis propinatis curari potuerunt, diu desideratæ sanitati iterum restituuntur.

Congruè sanè hæc quæstio hîc inseri potest, *an in omni hydropis specie tutò perficiatur?*

Sennertus arbitratur, eam non asciti tantùm, sed & reliquis hydropis speciebus, si aqua est permista, competere. Vide *lib. 5. Institut. part. 1. s. 2. cap. 7.*

Ita in leucophlegmatiâ *nonnulli* in parte tibiæ interiore quatuor digitis supra malleolos secant.

Alii crura aperiunt, vel etiam scalpello, aut cauterio partes in brachio supra manum dividunt, ut seroso humori, insidias vitæ struenti, exitus pateat. Vide *comment. Hollerii in aphor. Hippocratis 27. s. 6. Aëtium libro 10. cap. 30. Schenckium lib. 3. observat. de hydrope.*

Eam quoque in tympanite, ubi abdomen instar tympani est tensum, & si manu percutiatur, similem sonum edit, locum invenire existimat *Fabricius ab Aquapendente in operationibus chirurgicis*, cùm raro flatus eum generantes solùm in abdomine conclusi teneantur, sed ut plurimùm aqua iis admista sit. Quemadmodum in ascite non aqua sola dominatur, sed flatus etiam in cavitate abdominis continentur.

Nos autem tanti autoritatem illorum non facimus, ut pedibus, quod dicitur, nedum totis animis, in illorum sententiam minus probabilem descendamus. Sed potiùs opinioni *Pauli Æginetæ*, scriptoris gravissimi, quem *Aben Rasched* nunquam sine aliquâ laudis præfatione allegat, assentimur. Hic vult in nullâ aliâ hydropis specie eam convenire. Hoc Practici fere omnes monent.

Huic

Huic etiam ſententiæ ſubſcripſit *Nobiliſſ. experientiſſimusque Dn. D. Johannes Arnoldus Friderici, Botanices, Anatomes & Chirurgiæ P. P. in hac Salanâ nunquam ſatis laudatus, præceptor ac ſtudiorum meorum promotor omni honoris cultu proſequendus in collegio anatomico-chirurgico nuperrimè habito,* cum ageretur de παρακέντησι.

In tympanite qui eam adhibent, periculoſæ plenum opus aleæ tractant, & in aëre piſcantur, cùm flatus per foramen in abdomine factum non egrediantur. Nihil itaque aliud faciunt, quàm ut ægrum macerent.

Ne nimis præcipites ſimus in ejus adminiſtratione, ſi quis aſcite correptus ſit, ſed priùs benè, antequam ad eam devenimus, cùm indicantia, tùm contraindicantia conſideremus.

Inſtituenda itaque eſt paracenteſis, *Primò* quando vires nondum à morbi vehementiâ ſunt proſtratæ. In valde enim debilibus hanc exercere eſt actum agere. Verba ſunt *Ibn Sina* loco citato: واما البزل من السهران فاعلم انه قل ما ينجع الا في قوة البدن جدا اذا قدر يصبر على رياضه معتدل له اوعطش وتقليل غذاوه ولا تقدم عليه ما امكن علاج غيره i. e. *De inciſione verò mira ſcias, quod parum proficit, niſi in corpore valde forti, quum potens eſt hoc modo tolerare exercitium temperatum. Et oportet, ut non audeat fieri, dum poſſibilis eſt cura alia.*

Quare ii peſſimè ſanitati ægrotantis conſulunt, qui hoc præſidium ad extremum differunt, quando videlicet ipſa mors jam eſt in limine.

Hæc enim eſt ratio, cur plurimi poſt adminiſtratum hoc ſalutare remedium Charonti naulum perſolvant, ut phraſi poë-

poëticâ utar, quia hodie ferè nemo eam tentare audet, nisi re desperatissimâ, & viribus fractis consumptisque. Tum e-nim ægri adeo debiles sunt, ut minimâ spirituum evacuatio-ne vitam cum morte commutent.

Secundò uti eâ convenit, cum brevi temporis spatio tu-mor ad insignem magnitudinem pervenit, & reliqua medica-menta salutaria aquam è corpore non educunt, quod etiam *Fabricius ab Aquapendente in operat. chirurgicis* docet, inquiens: *Non in mitissimo, aut incipiente, aut qui medicamentis cedit, aut qui cessurus speratur perforare est oportunum, quia tantùm extremis mor-bis extrema sunt adhibenda remedia.* Hoc quoque *Hippocrates aph. 6. s. 1.* inculcat, scribens: ἐς δὲ τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχα-ται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται, i. e. *Ad summos morbos sum-mæ ad ungvem curationes adhibitæ optimè valent.*

Tertiò secare licet si hydrops ascites febrem non habeat pedissequam: Si autem febris eum comitatur id faciendum esse in intermissione, vel remissione præcipit *Hollerius in com-ment. in aphor. Hippocr. 27. s. 6.* Vide *Schenkium in observati-on. medicin. lib. 3. de hydrope.*

Quartò fiat antequam aqua hydropicorum diutius reten-ta putredinem quandam sibi acquisivit, & ab eâ viscera cocti-onibus publicis destinata ita sunt læsa, ut nullo modo ad pri-stinum statum reduci queant. Hoc probè novit *Hippocrates in porrhetic.* ita scribens: Si quis ab hydrope se sperat servatum iri ac restitutum, εὔσπλαγχνον εἶναι i. e. *integris esse visceribus o-portet.* Aliàs enim frustra laboramus.

Si omnia exempla, quæ monstrant, omnes istos ex ad-ministratione istius operationis id temporis factâ periisse, ad-ducere vellemus, in majorem molem hæc nostra dissertatio excresceret, quàm Homeri, ut dicitur, est Ilias. Verùm cùm hoc multis sit tædiosum, iis supersedebimus, & tantùm uni-cum hoc, quod legere est apud *Schenckium loco citato*, profe-remus, & illud nobis erit instar omnium.

Verba ipsius ita sese habent: *Mulierem quandam ascite laborantem Herbipoli meâ manu aperui, quæ, eductâ paulatim magnâ*

aquâ

aquæ copiâ, se plurimum sentiebat relevatam. Sed quia morbus jam ad summum pervenerat, & vires planè erant dejectæ, paucis diebus interjectis placidè extremum diem obiit. Eandem igitur mortuam à cognatis & marito rogatus, cum dissecuissem, hepar inveni (ut in plurimis aliis, qui eodem morbi genere perierant) omninò durum, & colore suppallido, perinde acsi coctum fuisset. Ipsa vero hepatis substantia, (quod admiratione videtur dignum) interius tota erat granulosa, granis nimirum quantitate pisorum ubique apparentibus.

Quintò onus incidendi hydropicos suscipiatur, si æger adhuc in florente ætate est constitutus. Frustra enim hoc præsidii genus tentari in depontanis testatur *Mich. Joan. Paschal. lib. 1. cap. 44. methodo curandi* scribens: *Patavii cùm præsente Savanarolâ & aliis medicis clarissimis & experientissimis Joanni Ludovico J. U. D. eximio sexagenario abdomen aperiretur, in manibus chirurgorum subito animam efflavit.* Monet itaque rectè *Schenckius*, ne medicus præcedente mortis præsagio in iis, qui senio confecti, viribus omnibus spoliati, & visceribus corruptis sunt præditi, operationem hanc suscipiat, ne postea faba in eum cudatur, quod plerumque accidit, si eventus non respondeat, nec ex voto succedat.

Neque etiam eam tentandam esse in puero vult *Fienus*, cui *Celsus* adstipulatur inquiens: *Pueros perforare est valdè periculosum.* *Galenus* quoque fatetur, se nunquam vidisse puerum perforatum.

Sextò attendatur necesse est, an substantia pulmonum ulcere sit affecta, vel æger alvi fluxu, aut corpore emaciato sit præditus. Hæc si adsint, *monente Sennerto*, venter non est aperiendus.

Tandem observandum quoque an partis alicujus corruptela ad hydropem fores aperuerit. Si nempe obortus à scirrho vel hepatis, vel lienis, aut à morbo acuto, ut vult *Sennertus*, tum hæc operatio non est tuta, quia exin ægrotanti auxilium nullum affertur, & æquè benè, etsi aqua evacuaretur, adhuc posteà moreretur.

Hæc benè à medico perpendantur oportet, si sectione abdomen aperturus est. Aliàs tantam ignominiæ notam sibi

inurere poteſt, quam vix omnibus undis Oceanus, nympharum ille genitor, eluerit.

CAPUT VI

differentias ob oculos ponit.

DIfferentiæ, quæ hic excogitari poſſunt, omnes ferè à ſubjecto deſumuntur.

Ita παρακέντησις alia fit in ſcroto, cujus *Fabricius ab Aquapendente loco citato* meminit.

Alia fit in ipſo umbilico, de qua vide *Andr. Laurentium.*

Alia infra umbilicum transverſum ad latera. Alia ſupra umbilicum.

Tandem & modus operandi differentiam nobis ſubminiſtrat, dum ut plurimum ſectione, interdum etiam uſtione perficitur.

CAPUT VII

ſigna paracenteſin, quando ſit neceſſaria, indicantia recenſet.

EXpoſitis differentiis ſequitur conſideratio ſignorum. Hæc quam ſit neceſſaria in omnibus parœmia *ſummi dictatoris lib.* περὶ ἰητρȣ̃ *ſub finem* ita ſonans, docet: μόνος ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος, εἰκότως ἐπιχειρέει i.e. *Solus is, qui ſignorum cognitionem ſibi comparavit, ritè omnia aggreditur.*

Hinc fas erit paucis ſigna eam indicantia ſubjicere. Quippe ſecundùm *Philoſophum* ἕκαστος κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής i. e. *Unusquisque de iis bene judicat, quæ cognoſcit, & horum optimus eſt cenſor.*

Suſcipienda eſt hæc operatio, quando ingens humoris aquoſi, & ſeroſæ colluviei proventus in ventre inferiore eſt coacervatus, ex quo venter in tantum tumorem eſt ſublatus, ut diſruptionis periculum ſingulis momentis quaſi impendeat.

Subducenda eſt quoque aqua hoc præſidio chirurgico, ſi medi-

medicamenta ex fonte pharmaceutico desumta, quibus morbi sævities seu atrocitas sæpe devicta & sanitas restituta est, in cassum propinantur. Et quando natura, quæ *ab Hippocrate 6. epidem. comment. 5. t. 1.* ἰατρὸς νούσων appellatur suo officio deficit. Solet enim illa nonnunquam laxatis meatibus majoribus per alvum, & minoribus per urinam microcosmicum diluvium profligare. Vide *Dn. præsidis, patroni & præceptoris mei æviternùm devenerandi methodum medicinæ generalem.*

Sed hic nonnullos cum Erasistrato dicere audio; medicos istos paracentesi asciticos curaturos ἐυθανασίαν exteriorem, quâ arte noviter inventâ homines eruditè jugulantur, optimè didicisse, cùm ex centum vix decem sanentur, & res periculosissima sit. Volunt itaque, satius esse permittere, ut hydropici in suo sterquilinio moriantur, quàm quòd ars chirurgica profanetur, & ludibrio exponatur.

Verùm nos in castris præsidiisque illorum non versamur, neque illorum argumentorum tanta vis est & efficacia, ut nos à semel præconceptâ opinione, quemadmodum *Avicennam & Gordonium*, absterrere possint.

Semper enim *Cælii Aureliani*, medici nobilissimi testimonium & autoritatem ante oculos habemus. Hic scribit: *In medium proferre audent, omnes ex hac vita discesſiſſe, quibus ventre perforato aqua educta est; sed mentiuntur.* Et rectè quidem; Multos enim adhibito hoc remedii genere amissam sanitatem recuperasse, constat. Si autem nonnulli fato abrepti fuerint, contigit id vel tardius, vel negligentius administratæ paracenteseos culpâ.

Et quamvis hoc præsidium aliquid periculi conjunctum habeat, & sæpe homini ultimum existat viaticum ad alteram vitam, tamen ideo non rejiciendum; sed cum asciticis ob tumorem maximum, vel ob symptomatum immane quantum urgentium injuriam, aut ægri, medici, vel adstantium incuriam eò fit deventum, ut sanorum catalogo inscribi iterum nequeant, nisi arte, paracentesi factâ, dictum factum humores aquosi iis subducantur, à medico nullo modo (nisi eidem socordiæ stigma

inuerere

inurere & crudelis videri libuerit) monentibus ita *Abuli Ibn Sina*, *Ballonio*, *Trincavellio & aliis*, sunt derelinquendi; sed ope operâque omni eò collimandum, quonam modo ac remedio vita eorum, qualiter qualiter licet, sit sustentanda, & extendenda, naturaque semper est irritanda, an in suum centrum revocari possit.

Et hoc obtinere possumus, quando humor serosus est emissus.

Quippe tum medicamentis data est facultas vires suas iterum exserendi, quas antea non poterant, cum ille in abdominis capacitate adhuc erat incarceratus.

Nihil est intermittendum, ut vita producatur, & dulcedo vitæ concilietur, quantumvis integra sanitatis possessio dari nequeat. Sæpè in summâ desperatione salus in vico proximo ægrum excipit, quæ omnem ipsi videbatur dudum abiurasse operam. Sæpe fiunt monstra in arte.

Melius itaque erit experiri aliquid, quàm ægrum absque remediis mori permittere. Quippe *dubia salus certâ desperatione est potior, & satius est anceps experiri remedium quam nullum, præsertim ubi spes nulla salutis superest, nisi Deus ex machinâ aliquâ affulserit.*

Nec frustra chartam maculabimus, si addiderimus *Valesci de Taranta* & *Freitagii* dicterium: *Homo opus incipiat, Deus exsequendo perficiat.* Verè enim dum ægro anima est, spes est. Vide si lubet hac de re *Roderici à Castro medicum politicum p. 175. Joann. Nardii noct. genialium annum 1. noctem tertiam.*

Inde rectè eam adhibere licet in casu necessitatis. Testantur hoc *Hippocr. Galenus, Fienus* & alii. Et rectè cum *Laurentio loco citato*, cujus verba ita sonant, dicimus: la raison & l' authorité de plusieurs grands personnages nous font croire, qu' elle se peut faire en toute asseurance i. e. *ratio & authoritas plurimorum gravissimorum virorum facit, ut credamus, eam tutò administrari posse.*

Ratio ejus hæc est: car puisque ces eaux croupissantes

ne

ne se peuvent evacuer par aucuns medicamens ny internes, ny externes c'est pourquoy n' y employra t' on l'incision aussi bien qu' aux autres tumeurs aqueuses & pituiteuses, principalement, que les parties, que l' on y pique & blesse sont toutes ignobles i. e. *Nam quia hæ aquæ corruptæ nequeunt neque per interna, neque per externa medicamenta evacuari; quare etiam non hîc tàm commodè incisio, quàm in aliis tumoribus aquosis & pituitosis fieri poterit, inprimis cum partes, quæ hîc punguntur & læduntur ignobiles sint.*

Practicorum vix quispiam est, qui non præcipiat, aliis remediis omnibus non juvamen afferentibus, sectionem instituendam esse.

Curatos plurimos esse, quibus forte fortuna venter vel vulneratus, vel disruptus est, historiæ passim docent. Ita narrat *Schenckius*, hydropicum quendam abdomine malitiosè perfosso; & mulierem sexennium asciticam, casu in lapidem impingentem, & ventrem vulnerantem, convaluisse.

Si itaque casu facto vulnere, & aquâ effluente ægri à malo liberantur, cur non & nos artificiali vulnere facto id obtineremus.

Exempla plurima leguntur apud *Vidum Vidium lib. 10. cap. 15. lib. de curatione membratim. Marcell. Donatum lib. 4. cap. 21. Michael. Paschalium cap. de ascite, & alios* ubi natura spontaneo modo umbilico aperto patentes sibi vias quæsivit.

Quare & medici, qui naturæ sunt ministri, in casu desperato humori noxio per locum aliquem idoneum viam struere non auderent?

Rigorosi nonnulli medici, quod obiter monitum volo, non hydropicis tantùm, sed & aliis quoque v. g. podagræ, quartanæ, lepræ, cancrique mancipiis hanc sanitatem recuperandi gloriam suffurari fuere ausi. Hinc natale accepit illud:

Hydrops, quartana & medicorum scandala plana

& id *Vatis Peligni*

Tollere nodosam nescit medicina podagram

Verùm jam non testes ex demortuis advocare est animus, temporis & chartæ redimendæ gratiâ, qui sæpius de edomitis his, freti divino auxilio, triumpharunt, & si hospites hos ingratos non planè è territorio corporis ejecerunt, torvam tamen mortis crudelitatem ad tempus exoraverunt.

Audiatur ex iis *Hartmannus*, qui bis lepram confirmatam curavit, & præterea addit: *Verùm enim verò cùm accusare naturam alicujus deficientiæ non liceat, utpote quæ divinâ potestate facta sit & magnarum & incredibilium virtutum arcanis, quidni his dextrè cognitis & præparatis omnes morbos curare posse credimus. Vide praxin ejus pag. 293.*

Verùm jam vivos loqui jubeo testes hydropicos, epilepticos, quartanarios, qui quanta beneficia cùm ab *aliis*, tum à *nobilissimo DN. Præside* acceperint, & adhuc accipiant, ipsi sanitate reduce superbientes attestatum ibunt.

CAPUT VIII
de prognosi agit.

NIhil præstantius in arte medicâ existit, *eloquente oraculo lib. 1. epidem. quàm* προλέγειν τὰ ἐσόμενα i.e. *prædicere futura.*

Futura enim monendo, pericula prædicendo, & incurabiles non attingendo admirabilem se reddit medicus apud omnes, & tantam autoritatem, tantamque famam sibi conciliat, quam nulla unquam ætas delere poterit, imo efficit, ut instar numinis à nonnullis habeatur.

Prognosin itaque paucis subjicimus. Hæc variè à variis non uno & eodem filo & stylo instituitur.

Salutem hydropico ex hôc præsidio chirurgico, nunquam satis laudato, non omnes promittunt, odiô vatiniano hoc prosequentes, atque illud tanquam exsecrandum, inutile, & summo cum periculo conjunctum auxilium proclamantes.

Verùm vehementer & toto cœlo hi errant. Planè enim non est horrendum, neque inutile, ut demonstratum est.

Si

Si ergo ſigna hoc remedii genus indicantia, *cap. 5.* paucis aſſignata, adſunt, & in tempore adhibetur ſectio à chirurgo perito, qualem *Celſus in proëmio lib. 7.* deſcribit, tum certè præſagire nobis licet, hoc malum in ſalutarem eventum terminatum iri.

Caput IX

tempus deſignat.

Datâ prognoſi & examinatis examinandis ad operationem nos accingimus, quæ ut rectè perficiatur, nonnulla accuratè ſunt perpendenda.

Inter illa tempus ſeſe primò nobis offert. Hîc *Comici* illud locum invenit : *In tempore venire omnium rerum eſt primum:* Dimidium enim facti habemus, ſi oportuno tempore ſectionem iſtam ſuſcipimus, neque errorem in illo committimus.

Eleganter *dictator Hippocrates* jamdudum nobis iſtud aperuit, qui contra mille alios hac in parte contradicentes ſufficit; cùm tanquam novus *Archimedes* machinamenta medicinæ ſuſtineat. Verba ipſius ita ſeſe habent : ὑδρωπιῶντας θᾶσσον τάμνειν, φθίνοντας αὐτίκα καίειν i. e. *Hydrope vexati ſtatim ſecandi ſunt, empyemate laborantes ſtatim urendi.*

Illud autem αὐτίκα cum *Hippocrate* interpretamur *lib. de internis affectionibus* initio morbi. ταῦτα κατ' ἀρχὰς, ait, ποιεῖν τοῦ νοσήματος i. e. *in principio morbi hæc ſunt peragenda.*

Hæc quâ ratione pleniùs ſint intelligenda, *autor* alibi, & inprimis *libro περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν* demonſtrat, ubi præcipit curaturo aſcitem, ut non ſtatim hoc remedii genus arripiat, ſed priùs alia in uſum trahat, quibus hoſtis hic, vitæ noſtræ infenſiſſimus, ſæpe feliciſſimè è corpore exturbatus eſt. Ordinem hunc indigitavit *Hippocrates ſect. 8. aphoriſmo 6.* inquiens : ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται· ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται, ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν

ἀνίατα i. e. *Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ non ferrum sanat, ea ignis: quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet.*

CAPUT X

delineat ante punctionem agenda.

Gravitatis plena est præceptio, ab *Abuali principe* proposita: *quod non audeat fieri punctio, dum possibilis est alia cura.*

Per hanc intelligitur diætetica & pharmaceutica. His optimè ventris tumorem aquosum nonnunquam depelli posse docent quoque *Pietro & Lodovico Rostini* medici in *trattato di tutta la cirurgia pag. 112.* ita dicentes: à curar l' acquoso tumore ecco quattro indicationi. La prima è, il vivere sia attenuante, calefaciente, & esiccante. La seconda è, che si rettifichi la concottione. La terza è, che si espurghi l' humore acquoso per il ventre, perche il ventre di cio è pieno. La quarta è, che questo humore acquoso si espurghi per l' orina. i. e. *ad curandum aquosum humorem, ecce quinque indicationes. Prima est, ratio victus sit attenuans, calefaciens, & exsiccans. Secunda est, ut concoctio corrigatur. Tertia est, ut humor aquosus per ventrem expurgetur, quoniam venter eô est plenus. Quarta est, ut hic humor aquosus per urinam educatur.*

PURGANTIA itaque commodè hîc locum habent, humoribus peccantibus accommodata, per alvum, urinam, sudorem, vomitum &c. in formâ solidâ vel liquidâ. Repeриuntur quidem *nonnulli*, qui fluida rejiciunt, verùm minùs benè: si enim æger istis fuerit assvetus, cum commodo exhiberi possunt. De iis quæ humores istos evacuant, commentaria omnia sunt plena.

BRYONIA INDIÆ OCCIDENTALIS, MECHOACANNA NIGRA GIALAPA dicta, selecta, exterius nigricans interius ob copiosam resinam magis rufescens, & si igni admoveatur, flammam promtè concipiens, in suo symbolo hanc gerit sententiam: *ὠφελεῖν, καὶ μὴ βλάπτειν* i. e. *juvare &*

non

non lædere. Juvat aſciticos & non lædit. Datur à ℈j, ʒß. officium facit ſtupendum. Addi poteſt elæoſaccharum aniſi ad gr. ij. Ejus *magiſterium* magnas habet virtutes hydragogas, ad gr. xvj. xvij. cum conſerva roſarum exhibitum in formâ boli.

Cenſoria eſt ſententia *Petri Poterii obſerv. & curationum centuria 3. cap. 39. Elaterium, Jalappa, mechioacanna radix, gummi gotta, ſoldanella, medianus cortex ſambuci, ebuli ſemen, & alia pleraque communiter uſurpata, ut plurimùm non modò non ſanant, ſed potiùs morbum augent, & miſellos in pejus præcipitant.*

Verùm fulmen hoc gialapium non turbat. Conſtans in eo manet bonitas.

ΚΡΑΜΒΗ ΘΑΛΑΣΣΙΑ ἢ θαλασσοκράμβη *braſſica marina* ab Arabicâ lingvâ dominatus titulum impetravit. Exercet eum in educendis aquis hydropicorum quorundam judicio.

Criſtas erigunt, qui illam innoxiè adſumi poſſe negant, ſed correcta benevolum facit officium.

Ex duobus tale confieri poteſt medicamentum.

℞. *radicis jalappæ pulveriſatæ* gr. xvj.
fol. ſoldanellæ pulv. ℈ß.
ſalis eupatorii
fraxini *a.* g. j.
elæoſacchari nucis moſchatæ deſtillatæ g. iij.
M. S. Purgierpulver auff einmahl.

Sal fraxini à *Simone Pauli* præfertur lapidi bezoardico in *quadripartito*.

ΕΛΑΤΗΡΙΟΝ optimè præparatum, quod notas habet bonitatis à *Diſcoride* adſignatas, furſum & deorſum purgat aquas, in abdomine non ſolùm, ſed etiam in vaſis ſtagnantes. Corrigere id jubet *Heurnius* pilulis maſtichinis. Eandem correctionem *Sylvaticus* approbat *centur. 3. conſil. 34.* quia maſtix ventriculum roborat.

℞. *elaterii* ℈ß.
salis cinamomi gr. vj.
pilularum mastich. g. xv.
cum aqua agrimoniæ F. pilulæ.

RIVAND TZINI seu Rhabarbarum quamvis non convenire hydropicis aliqui censeant, imò *Capivaccius* ceu veneno, eo hydropicis interdicat, cùm non aquas, sed bilem vacuet, *alii* ut præservativum, non curativum admittant: *alii* tamen extollunt, cùm hoc non solum jecori, & ventriculo prosit (dicitur enim vita jecoris & ventriculi) sed etiam secundariò seroso humori evacuando inserviat, hîc adhibere præcipiunt.

SUCCUS INDICUS purgans, quem *Bontius tractatu de medicinis Indorum cap. de hydrope* succum tithymali censet esse in taleolas redactum, Chrysopus Peruanus etiam dicitur. Magisterium inde paratum ὑδραγωγὸν est insigne, ad ℈ß exhibitum. Spiritu ⊖li etiam volatilitas ejus figitur.

Extollitur simul laudibus ☿ius vitæ ☉laris, quo *Begvinus* cum *Doctore Vauterio*, referente *Hartmanno in Croll.* duos hydropicos à medicis relictos restituit.

Ex eo pilulæ tales parari possunt.

℞. *extracti eupatorii gr. vj.*
☿*ii vitæ* ☉*laris gr. iij.*
magisterii matris perlarum gr. ij.
olei cinamomi gutt. 1.
F. c. sirupo eupatorii pilulæ numero XI.

Numero impari eas præscripsimus, ut populo satisfaciamus. Persvasum enim hic sibi habet, earum virtutem supprimi, si numero pari exhibeantur.

Sunt qui hunc errorem rationibus stabilire conantur, quòd nempe hâc ratione ventriculi latera undique melius contingantur, & camini instar extergantur. Adhæc addunt illud *Poëtæ*

Numero Deus impare gaudet.

Verum

Verùm cùm quantitatis nulla sit efficacia, ut anile commentum rejicimus.

De his purgantibus eruditè *Excellentissimus & Nobilissimus D. Bewizius, Medicinæ D. & Practicus Jenensis felicissimus, præceptor meus fidelissimus & summè honorandus in collegio formularum nuperrimè habito* disseruit.

Adhibitis purgantibus progressum faciamus ad DIURETICA, quæ sint temperata. Usu enim horum, & hepar roborantium multos esse servatos refert *Simon Pauli*. His si placet hydrotica adjungantur.

Tale est illud quod parat *Hippocrates* ex cantharidibus. Iis restitutos esse desperatos scribit *Capivaccius*. Quomodo rectè præparentur dicit *Massarias libro de affectibus renum & vesicæ*, & *Bartholinus centuriâ 5. observat. 81.* optimum modum eas exhibendi depingit.

Si autem has usurpare nolumus, prius sequens potio propinetur.

℞. *ligni sassafras* ℥iv.
folior. agrimoniæ Mj.
radicis asparagi
petroselini ana ℥j.
pulver. vermium ▽*trium* ʒij.
infundantur in s. q. aquæ saxifragæ,
Stent in infusione per noctem.
Postea in vase clauso ebulliant
Colaturæ ℞. ℥vj. Adde
sirupi parietariæ ℥ij.
⊖*is genistæ gr.* xv.
D. S potio auff 2 mahl.

LIGNUM SASSAFRAS summè hîc proficuum. Præ reliquis diureticis hanc vim à naturâ obtinet, ut ventriculi vires conservet, calidum innatum augeat & roboret, moderatéque exsiccet.

Vermes ▽tres *à Smetio libro 4. miscellan.* summis encomiis evehuntur.

Dein

Dein suadet *Hippocrates loco citato* ut recta in sex rerum non naturalium usu norma instituatur. Inprimis bona victus ratio attendatur necesse est. Hæc enim quantum faciat ad curandum hydropem, *Celsus* præter quotidianam experientiam *libro 3. cap. 22.* ostendit.

Si his medicamentis morbus contumax & rebellis non cedit, *autor sæpius citatus* παραχρημα ἐντήσιν αὐτίκα i. e. statim esse accelerandam monet, antequam aqua ulteriorem & majorem putredinem contrahat, partesque corrumpat. Cùm enim adhuc εὐσπλαγχνοι sunt, spes reconvalescentiæ superest. Si autem viscera sunt depravata, sicut & in ascite, qui à scirrho lienis, vel hepatis, aut à morbo aliquo acuto existit, qui per se lethalis esse solet, frustra hoc præsidium tentatur & anima cum aquâ educitur. Hoc testatur *Andr. Laurentius ita in anatomiâ suâ* scribens: Car c' est sans aucum fruit, quæ l' on tire l' eau, qui se fait, quand les entrailles sont desja gastées & hors de leur naturell i. e. *absque fructu emittuntur aquæ, cum viscera corrupta, & extra statum naturalem sunt.* Exempla invenies apud *Capivaccium, Ambrosium Paræum, Henricum Smetium, & alios.*

CAPUT XI

Locum ostendit.

NEcessitas efflagitat, ut locus huic sectioni accommodatus examini subjiciatur. Eum enim nisi quis cognoverit, ægrotantem facillimo negotio vitâ suâ spoliabit.

Non enim est res una eademque quæ pars ventris incidatur, licet tota ejus cavitas aquoso humore sit impleta.

Pessimè sanitati hydropici prospiceretur, si scalpello incisorio, vel cauterio potentiali regio hepatis, lienis, vel ventriculi tangeretur, aut si statim sub hypochondriis, sive in imâ parte abdominis prope vesicam sectio administraretur. Unde *Hippocrates 6. de morbis vulgaribus* dicit: *Hydropicorum pectinem non contingito.*

Aqua enim, licet apertio fiat in locis superioribus, infra umbilicum stagnans, non egrederetur.

Locus itaque eligendus, qui ad aquas evocandas idoneus, quique à visceribus & à partibus vitæ inservientibus reremotus est, ne ex illarum læsione in vitæ naufragium æger incidat.

Andr. Laurentius, cujus *cap. 4.* jam mentionem fecimus, mordicùs tuetur, umbilicum viam esse ad humorem ascriticorum abundantem eliciendum commodissimam, utpote quam natura non solum ipsa quærit, sed etiam sæpè aperit. Fulcit hanc suam opinionem *aphorism. dictatoris summi XXI. s. 1.* ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων i. e. *Quæ educere oportet, quò vergunt maximè, eo ducito, per loca convenientia.*

Adjicit prætereà plurima exempla, quibus monstrat, ab istâ evacuatione, observatis observandis, multos convaluisse. Hinc ab hâc sententiâ ne latum ungvem aut digitum transversum discedere vult.

Neque *Sanctorius* medicus Patavinus ab hac sententiâ recedit. Hic instrumento quodam fuit instructus formam siphunculi repræsentante, quo applicato singulari quodam artificio vasa umbilicalia coëuntia mire distensa sunt, ut tantum humoris, quantum voluit, quotidie extrahere potuerit. Qui desiderio flagrat id videndi, eum remitto ad *comment. in fen. Avicenn. 1. tr. 4. cap. 1. text. 12.*

Hujus apertionem *Guilhelmo Fabricio* non displicuisse videtur, eo inprimis adductus, quod in ascitico defuncto umbilicalem venam ita dilatatam invenit, ut facilè penna anseris intrudi potuerit.

Verùm illorum opinio nostro palato non arridet. Ascitæ enim qui correpti sunt, umbilicum plerumque valdè retractum, nullo tumore conspicuum, sed profundum habent. Si itaque ejus sectionem quis aggrederetur, opus difficile & periculo haud vacans tractaret.

Periculosum hoc exin apparet esse, quia ad umbilicum

quatuor vaſa umbilicalia, quæ fœtui in ergaſtulo uterino concluſo nutrimentum advehunt, deferuntur.

Unde vena ad hepar aſcendit, cujus beneficio umbilico annectitur: Duæ arteriæ, & urachus, quibus veſica peritonæo jungitur, & ſuſtinetur, ne quando urinâ diſtenta cervix ejus comprimatur.

Quæ vaſa optimè in nuperrimâ publicè habitâ anatomiâ *à Nobiliſſ. Dn. D. Joann. Arnold. Frider. P. P. præceptore & patrono meo colendo fuere demonſtrata.*

Nunc facilè autem contingeret, ut aliquod iſtorum vaſorum, ibi in unum coaleſcentium, lædatur, unde mors ſubitò acceleraretur, ſin minus, tamen ægrotanti deterius eſſet vivendum.

Nam illis, tanquam ligamentis, partes in ventre ſuſpenduntur, quibus per vulnerationem disruptis, concidunt, & alium ſibi acquirunt ſitum ſuis operationibus planè inconvenientem.

Haud paucos accepto vulnere in umbilico placidè obdormiviſſe hiſtoriæ teſtantur. Confirmat *Laurentius* ſcribens: aujourd'huy les Ægyptiens puniſans les voleurs, les eſcorchent tout vifs, & ils vivent ainſi fort long temps en grand tourment, ſi le bourreau ne touche point de ſon couſteau au nombril, mais il le coupe, is meurent tout auſſi-toſt, à cauſe que ces quatre vaisſeaux tombent. Vide p. 590. i. e. *AEgyptii quando pœnas ſumere volunt à prædatoribus, vivos illos excoriant, qui ita miſerè excruciantur, ſi carnifex cultro umbilicum non tangit vel lædit. Sed eo diviſo citò vitâ privantur, quia quatuor hæc vaſa concidunt.*

Difficilis etiam redditur, quia umbilicus in aſcite nonnunquam adeò profundè eſt ſitus, ut difficulter attingi queat. Si autem accidit, ut natura planè inclinet, & hunc locum ſibi eligat, ita ut umbilicus in amplam & pellucidam diſtendatur veſicam, & inter exteriorem partem, ac internam cavitatem & aquam tenuis tantùm cutis intercedat, quæ vel ipſo tactu vel digiti compreſſione ac perſpicuitate deprehenditur, non negabimus iſtius perforationem eſſe commodam.

Quippe

Quippe tum locus ille non solùm est valdè elatus, verùm etiam ab omnibus intestinis segregatus est.

Si verò ista laxitas non adest, meritò affirmamus, umbilicum secante instrumento non esse tangendum.

Quia durior admodum existit, & nisi cum aliquâ vehementiâ transfodi potest.

Facultas quoque fistulam commodè injiciendi, & aquam pro lubitu retinendi & emittendi nobis erit denegata.

Tandem & vix rationi consentaneum videtur, umbilicum filo sic constringi, & ad modum crumenæ seu marsupii adeò firmiter claudi posse, ut nihil aquæ prosiliat.

Ab aliis alias partes ad humorem serosum, corpori periculosam molestiam creantem, educendum aperiri, legimus.

Platerus, vir doctrinâ & eruditione insignis scrotum eligendum esse monet, & addit, lancettâ, vel phlebotomo vulnus satis amplum ei infligendum esse, quò canna argentea ad aquam proliciendam imponi possit.

Massarias suffragium præbet, & ejus apertionem cùm paracentesi ventris, tum crurum scarificationi, quæ in mitiore hydrope locum invenit, palmam longè præripere scribit, cùm absque ullo vitæ discrimine, & molestiâ peragatur. Hujus beneficio mercatorem quendam asciticum, Vicentiæ viventem, è faucibus mortis eripuit. Perforato enim scroto trium dierum spatio 45. libras aquosi humoris cum summâ felicitate, & salute ægrotantis eduxit.

Perillustris & generosissimus Dn. Dn. *Henricus Sigismundus à Vippach, Dominus in Gumperda, & Hohenschwarm, consiliarius Ducalis Saxonicus intimæ admissionis, & Capitaneus Arcium Leichtenburgici, Orlamundæ, & Rhodæ eminentissimus*, post erysipelas poplitis sinistri diuturnum, multarum septimanarum decubitu, bonâque diætâ tandem curatum, incidit in hydropem ascitem, cum tumore pedum, & scroti magnitudinem capitis humani excedente. Cùm pondus hoc ipsi esset molestum in sedili, & lecto, admisit παρακέντησιν scroti trajecto setaceo transversim. Duarum septimanarum spatio fluentibus undis

 convaluit

convaluit ex asse, debitis in societatem honoris adscitis remediis. Quadrante anni elapso, de improviso periit apoplecticus. In cadaveris aperti abdomine parum aquæ: in rene autem sinistro lapis ingens parvi ovi gallinæ cum curvâ caudâ, acutâ, oblongâ magnitudine, & multi lapilli minores reperti.

Non semper tamen reconvalescunt ægri, sed interdum fatalis ægros excipit terminus.

Posteritatis memoriâ digna est reverendâ dignitate præcellentissimi viri *Dn.* CHRISTIANI CHEMNITII, S. S. *theologiæ Doctoris, professoris ac superintendentis vigilantissimi* paracentesis.

Hic post asthmaticam dispositionem, nonnunquam etiam orthopnoicam sine tussi & materiæ ejectione, ortam à sero in hypochondriis stabulante asciticus factus, admisit punctionem scroti in utroque latere, fluxerunt aquæ quinque septimanarum spatio, dies & noctes, sine intermissione. Tandem succubuit, & Deo animam reddidit.

PRÆVIA GANGRÆNA salutaris fuit punctio in strenuo & generoso DN. *Conrado à Mulich, Dn. in Bukerda & Rausdorff, Electoralis Saxonicæ militiæ equestris, sub colonello perillustri Friderico Wilhelmo Vice-Domino in bator observavit excellentissimus præses.* Ortus erat hic ascites ab erroribus diætæ pluribus nuptialibus, in usu spiritus vini, cerevisiæ, vini, & vigiliis. Pedes tumentissimi usque ad ingvina, scrotum capitis humani magnitudinem superabat. Quaternâ octidui spatio factâ apertione serum est eductum, demum inflammabatur idem, mox cinereus apparebat color, & acidus advertebatur odor. Gangrænosæ partes removebantur, donec nudi apparerent testiculi. Aqua per ulcus effluebat die & nocte, cum sero lactis caprini, quod sitis & æstûs viscerum restinguendi gratiâ largiter hauriebat. Tandem in integrum restituebatur ulcus, & scarificatione pedum institutâ illi etiam detumescebant.

Similem gangrænæ asciticæ historiam recenset *Guilhelmus Fabricius Hildanus centur. 1. observat. 48.* Sponte post gangrænam aperto scroto humores aquosi egressi sunt: qui posteà adhi-

bitis

bitis medicamentis huic malo analogis non solùm reconvaluit, verùm etiām multorum liberorum factus est parens, & Natura, provida rerum mater, testiculos denudatos callosâ quâdam substantiā muniverat.

Si scrotum nullis humoribus repletum esse, neque naturam eò aquam protrudere deprehendimus, fugienda est hæc perforatio, cùm frustra tentetur.

Periculosa hæc sectio non est, quia partes principales à læsione omni sunt remotæ.

MODUS administrandæ paracenteseos in scroto cum observatione dignissimus sit, paucis indicabitur.

Asciticus in cubili, vel sella, aut scamno, si vires id patiuntur, sedeat erecto corpore, ita tamen, ut scrotum terram respiciat, & deorsum pendeat. Chirurgus mox lancettâ, vel phlebotomo arrepto partem secandam profundè nonnihil in utroque latere unâ, vel si non sufficit, duabus, aut tribus incisuris oblongis *κατὰ πληγὴν ἢ συρμὸν* cæsim vel tractim factis dividat, & per has aquam educat.

Observandum hîc est, ut apertio ista in parte decliviore, non autem versus penem fiat. Evocatâ enim aquâ scrotum contrahitur, & gangræna nonnunquam subsequitur, quæ facilè propter vicinitatem penem in consensum trahere potest. Quod malum dein gravioribus symptomatibus occasionem præbet, ut suppressioni ☐næ & aliis.

Alii tandem tribus digitis sub umbilico ex communi doctrinâ medicorum prudentiorum sectionem administrant. Quem locum & *nos* aliis præferimus.

Hunc locum & *Hippocrat. lib. περὶ παθῶν* expressit, *ita scribens : ἢ παρὰ τὸν ὄμφαλον, ἢ ὄπισθεν κατὰ τὴν λαγόνα* i. e. *vel juxta umbilicum, vel retro juxta ilia.* A latere enim fiat apertio, quia, si in medio fieret, aliàs linea candida à cartilagine Xiphoide usque ad ossa pubis per medium ventrem excurrens, pungeretur.

Ex cujus læsione convulsiones & alia gravia symptomata excitantur, quæ hominem citò perimunt.

Omnium enim musculorum abdominis aponeuroses membranosæ ad eam adeo firmiter coëunt, ut unum quasi musculum constituere videantur.

Unde etiam hujus læsio cautius sangvine viperino in sectione cæsareâ evitatur. Partim quia, ut jam dictum, ejus vulneratio lethalis, cum pars sit nervosa; partim quoniam propter motum continuum in respiratione, sine qua homo ne momentum superstes esse potest, vulnera ejus consolidari nequeunt.

Videndum præterea ne musculi abdominis recti dividantur. Tum enim sangvinis profusio magna produceretur, quæ ascititicis summè noxia teste *Celso* & *aliis Practicis.*

Deducuntur enim per ipsorum longitudinem, & simul uniuntur per mutuam anastomosin vasa duo satis magna, nempe vena mammaria descendens & epigastrica ascendens, quæ musculis inversis facilè circa finem aut in medio eorum oculos nostros incurrunt.

Quare prisci illi sapienter admonuerunt; tres aut quatuor ferè digitos ab umbilico, quanta nimirum rectorum musculorum latitudo est, sectionem esse perficiendam.

Ut autem sciatur in quo latere παρακέντησις sit adhibenda, considerandum est, ubi tumor conspiciatur.

Si itaque videmus, regionem lienis tumore esse affectam, in latere dextro foramen formetur. Hâc enim ratione ascititicis potestas minore cùm molestiâ in latus sinistrum decumbendi datur, quia viscus non ita est suspensum eo decubitu.

Dein etiam non metuendum est, ut aqua effluat, uti accidit cuidam Hebræo, qui spatio 24. horarum obiit: quia nocte insequenti aqua copiosè exiit, quod factum est, quia æger tempore nocturno somnum cepit super latus perforatum.

Porrò & tàm citò gangrænæ & inflammationis periculum non imminet, qui hospites ingrati aliàs sese ultrò sæpè offerunt.

Si contra in regione jecinoris sese tumor ostendit, pars sinistra ferro tractetur, ob causas allatas à nobis recensitas.

Si autem contingit, ut neutrum viſcus laboret, æger interrogandus in quô latere aſſvetus ſit requieſcere. Nam ejus latus oppoſitum eſt perforandum. Si enim ſectio fieret in latere decubitûs, eveniret, ut tunc in nullam partem incumbere poſſet, quod intolerabile foret, & vigiliis æger excruciaretur.

CAPUT XII

Modum operandi proponit.

QUando conſenſu & ſuffragio ægrotantis & amicorum eò deventum eſt, ut Chirurgus advocatus loco invento & notato ſectionem ſuſcipiat, uno ore Altiſſimus, medicorum optimus, ardentibus precibus fatigandus eſt, quò manus chirurgi ita dirigat, & vires ægro ſubminiſtret, ut omnia in ſalutem hydropici cedant. A Numine enim divino incipiendum, quod & Ethnici fecere *teſte Poëta ita canente* :

A jove principium.

Hoc facto inſtrumenta benè polita & exornata, quibus ad opus hoc perficiendum utimur, ad manus ſint, & ea prope locum, ubi ſectio celebranda eſt, modo decenti exponantur.

Albucaſis inſtrumento acuto, formæ folii olivæ reſpondente, utitur.

Fabricius ab Aquapendente ferramentum quoddam ſibi confici curavit, quod ad cuſpidem nonnihil eſt recurvatum, ex unâ tantùm parte aciem habens, quo venter loco dicto tutiſſimè incîdi poteſt. Parte enim infernâ, quâ inteſtina reſpicit, retuſum eſt.

Perfici etiam poteſt ſcolopomachærio aut lancettâ. *Celſus* vult ut latitudo mucronis inſtrumenti iſtius, quo ſectio fit, tertiam ferè digiti partem impleat.

Secundò cannula, ſeu fiſtula adſit, quam *alii* cum *Celſo* æneam & plumbeam eſſe volunt, *alii* cum Paræo argenteam & auream.

Hæc rotunditate quâdam ſit prædita, & terſa, ne intromiſſa labiis vulneris noxam inferat; eam remora quædam

circum-

circumcingat, & habeat alam quasi expansam, ne à respiratione tota intus delabatur.

In lateribus foramine sit pertusa, ut filum per illa trajici possit. Non sufficit talem, qualem jam descripsimus, possidere, sed aliis adhuc instructus sit oportet, quæ diversam obtinent longitudinem, quo breviores cedente ventris mole semper immittantur. Foramen ejus non nimis sit latum; atque ut sine difficultate immitti possit, neque intestina attingendo lædat, incurvata sit.

Veteres hydropicis circa ventrem & umbilicum ustiones superficiarias adhibuerunt, ad exsiccandas aquas & partes roborandas. Verùm cum istis nobis nihil rei, quia loquimur tantùm de ustione penetrativâ.

Ea aut adminiculo cauterii actualis, aut potentialis peragitur.

Illa parantur ex ferro, ære, argento vel auro. Hæc autem ex butyro ♁ii seu lapide caustico (qui ex lixivio saponario, ⊕lo albo, & auripigmento coquitur) perficiuntur.

Nonnulli, quoniam partes abdominis ab aquâ nimium retentâ valdè refrigeratæ sunt, humectatæ, & debilitatæ, actualia potentialibus præferunt; propterea quod partes, frigore emortuas, calore perfundant, humiditates absumant, & partibus debilitatis robur afflent. Verùm putamus talia ob crudelitatem non esse admittenda, neque minus tutum esse peritonæum ita urere.

Neque desint medicamenta adstringentia, inter illa ☿ olivarum immaturarum punctum meretur. Afferenda quoque sunt emplastra, ut *diachylon simplex, aut de spermate ranarum.*

Hæc si adsunt locus exactè est disquirendus, & atramento scriptorio signandus, ne iterum conspectum nostrum effugiat.

Signato loco æger situm habeat convenientem, & curandum, ut in latus dextrum inclinet, si in sinistro sectio est facienda, aut in sinistrum, si in dextro.

Si venter ob aquam in nimiam molem est sublatus, dum æger decumbit, in ipso lecto operatio absolvatur.

Quod

Quod si autem abdomen non ita est inflatum, surgat ægrotans, & chirurgus ministro adstanti præcipiat, ut superius abdomen comprimat, quò aqua inferius detrudatur, atque in abdomine major tumor exoriatur. Sic enim subjecta membra ab omni læsione erunt tutissima.

Loco invento, ægroque optimè collocato, *monente summo dictatore*, alimentum corpori bonum succum suppeditans, facilisque coctionis exhibeatur. Postea instrumentum ferreum congruè manibus apprehendatur, & cutis abdominis circa locum signatum, qui perforandus est digitis ipsius, vel ministri cum panniculo carnoso subjecto seorsim ducatur, quo vulnus citius consolidetur. Seorsim abducta cum dexteritate quâdam singulari per transversum ad subjectam usque carnem sectione dividatur. Hoc confecto incisa cutis cum panniculo carnoso versus stomachum trahatur.

Remotâ hâc ratione cute pars musculosa, & peritonæum intrepido animo & prudenter unâ vice disjungantur, foramine non amplo facto & illæsis intestinis.

Huic tubulus, peniculi forma, seu fistula incurva, tubuli pennæ anserinæ crassitie, & semidigiti longitudine immittatur, & effluxus humori aquoso permittatur.

In qua quantitate primâ vice emittendus sit dicetur *in cap. seq.*

Per foramina filum deducatur & arte ad medium corpus religetur, ut dimoveri, nisi chirurgi arbitrio, nequeat.

Factâ hoc modo operatione post sufficientem aquæ emissionem turunda in fistulam intrudatur oleo adstringente irrigata, aut alia stupa consimili oleo conspersa circum circa cannulam ponatur. Dein emplastro muniatur & deligetur.

Ista deligatio non removenda nisi sequenti die, cùm aqua de novo educenda est.

Oleis & emplastris utimur, ne nobis invitis aqua effluat. *Alii* ad hoc obtinendum duplicatis pannis & ligaturâ forti extremum fistulæ orificium obturant, & obfirmant.

CAPUT XIII

quæ sint observanda in eductione aquæ patefacit.

FActâ secundum modum propositum abdominis perforatione, aqua juxta edictum nostri *senis* evocetur, ita sonans: ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ τέμνονται ἢ καίονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόως πάντως ἀπόλλυνται. i. e. *Qui pus in thorace colligunt, aut aquâ inter cutem laborant, si uruntur, aut secantur, aut pus, aut aqua confertim effluxerit omnino intereunt.*

Omnes enim subitæ mutationes periculosæ, & natura ad eas sustinendas non satis est sufficiens; At quæ paulatim fiunt, & per medium quoddam cognatum utrique extremorum contrariorum tutæ sunt, & periculo vacant.

Testatur hoc idem *autor aphorismo 51. s. 2.* scribens: τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν ἢ πληροῦν σφαλερὸν, καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. *Confertim & repente vacuare & implere periculosum. Omne siquidem nimium naturæ est inimicum: Verùm quod paulatim fit, securum est.*

Confirmat paulatinam non subitaneam eductionem *Abuali Ibn Tsina loco citato*, his verbis: والصواب ان لا يكون في دفعة واحدة فيستفرغ الروح دفعة وتسقط القوة بل قليلا قليلا فان يتعرض به الضعف

Et rectiùs quidem est, ut non fiat in vice unâ quidem subitò, & evacuetur spiritus subitò, & cadat virtus; imo paulatim, & ut ipsa non perveniat ad multam debilitatem.

Experientia quidem temeraria nonnunquam commonstravit, sanatos illos fuisse, quibus aut sectione ab Empyricis factâ, aut casu vulnerato abdomine, aut naturâ sibimetipsi viam

viam per umbilicum quærente ad deponendam sarcinam universa aqua simul absque vitæ dispendio effluxit. Exempla vide apud *Fienum & Schenckium loc. citato.* At si numerarentur ægroti, quibus infeliciter repentina ista evacuatio successit, centum invenirentur mortui pro duobus servatis, qui fati ope potius, quam beneficio evacuationis subitæ evasere. Nullatenus itaque hoc modo aqua subducenda. Homicidii enim crimen est peccare in hominis salutem. Rectè ergo quoque monet *Laurentius loco citato* dicens : Il ne faut pas faire vuider tout soudain & a la fois, mais lentement & peu a peu. i. e. *Non oportet evacuare repente & una vice sed paulatim.*

Licet enim aqua illa sit contra naturam, nihilominus plurimo calore, & plurimis spiritibus gaudet; quare si unâ vice emittitur, naturâ simul iis privatur, ex quo partibus refrigeratis & spiritibus subito effusis mors inevitabilis sequitur.

Dein etiam exin nociferum, quia viscera abdominis aquoso humori innatantia è vestigio collabuntur; Et hinc etiam diaphragma unà cum pericardio & corde deorsum trãhitur, unde vires magis jam labefactatæ prosternuntur, inprimis si cum jecore etiam lien est tumefactus, ut sæpe accidit.

Postquam Doctissimorum Virorum authoritate, exemplis, & rationibus firmissimis comprobatum est, subitaneam aquæ evacuationem perniciosissimam esse; Examinandum quoque erit, quænam ejus quantitas, quot vicibus evocanda sit.

De his Autores inter se non conveniunt.

Albucasis lib. 2. cap. 54. vult, ut spatio unius horæ media aquæ copia emittatur; insequente die minor quantitas detrahatur, & hoc nonnihil continuandum esse præcipit.

Ex *Practicis* quidam dicunt, tempore matutino & vespertino aliquid extrahendum esse; & quidem in primâ evacuatione ultra libras 2. non esse ascendendum: quod etiam vesperi est faciendum.

Postridie paulo plus, & sic paulatim, ne scilicet æger vires ex nimis subitâ spirituum effluxione amittat.

Hic autem modus aquam extrahendi multis ſuſpectus eſt & imprimis *Fieno*, qui eum perniciosiſſimum eſſe aſſerit. Vidit enim ita ſemel aquam eſſe eductam, unde æger elapſo triduo ex hac vita exiit.

Arbitratur exin aſcitico moriendum fuiſſe, quia aqua manu nimis parcâ fuit detracta. Et rectè quidem. Seroſus enim humor ad factam viam cum impetu prorumpens, partem jam ſectione debilitatam, magis enervat. Unde maxima difficultas exoritur in aquâ retinendâ, & ſi detinetur occaſionem generationi gangrænæ præbet.

Neque videmus, quid commodi ex tam exiguâ evacuatione in ægrotantem redundare poſſit.

Nihil aliud præſtamus, quàm ut aquam commoveamus, ex cujus motu vapores plurimi ad viſcera aſcendunt. In cavitate enim abdominis aſcitici jam conſummati 30. vel 40. pocula aquæ continentur *teſte Maſſaria* Vid. *loc. citat.*

Celſus hanc rationem aquam proliciendi quoq; non approbat; verùm magis ad ſententiam *Albucaſis* accedit, ſcribit enim: Per fiſtulam humor eſt effundendus, atque ubi major ejus pars eſt evocata, claudenda illa eſt demiſſo linteolo. Dein per inſequentes dies circa ſingulas heminas emittendum, donec nullum aquæ veſtigium appareat.

Huic *Fienus* ferme adſtipulatur. Vult enim primò aquam copioſè eſſe eliciendam, ut ventris illorum tumor notabiliter evaneſcat: Quippe tum ægris aqua retinenda non tantam moleſtiam exhibet, tanta abdominis non eſt tenſio, nec tantus aquæ conatus ad prorumpendum. Hinc cannula absque dolore immitti poteſt.

Dubius ſanè quilibet redditur, dum tot autorum opiniones legit. Quò enim ſeſe vertat, & cui aſſenſum ſuum præbeat, neſcius eſt.

Quod ad nos attinet, dicimus, exactam aquæ emittendæ quantitatem determinari non poſſe; ſed ejus conjecturam à requirente & tolerante ſumendam eſſe. Requirens eſt humorum abundantia: Tolerans ægri ſunt vires.

Si

Si itaque vires constant, & magna humorum pravorum colluvies adest, dimidia eorum pars exhauriatur. Inter eductionem autem, monente *Avicenna*, pulsus bene consideretur. Hic enim si imminuitur, ita ut tangentis manum sensim & sensim minus feriat, aquam retineamus. Sed quamdiu iste adhuc benè sese habet, tutò in opere pergere nobis licet.

Subscribit huic sententiæ *Sennertus lib. 3. part. 6. s. 2. cap. 3.* dum ita scribit: Tutius est de consilio veterum sensim aquam educere, singulis diebus ℥vj. ℥viij. x. pro virium ratione & tolerantia. vid. quoque *Comment. Holleri in ap. Hippocratis 27. s. 6.*

Quando autem prima evacuatio aquæ peracta est, fistula non est extrahenda, ut *Paulus*, *Avicenna*, & *Albucasis* faciunt.

Videndum tamen, ne intestina à cannulâ lædantur, ideò breviores semper in promptu habendæ sunt, ut jam monitum est. Nam quando semel excidit, facilè non iterum imponitur, nisi cum dolore & molestiâ, unde gangrænæ periculum immineret.

Denuo autem injici non facilè potest, quia cutis, musculi, & peritonæum diversimodè contrahuntur, divelluntur, & mutua sibi foramina claudunt.

Si autem hydropicus inter evacuationem magnam virium exolutionem patitur, medicamentis convenientibus sunt revocandæ.

Illæ enim nisi restaurentur, neque viscerum robori consulatur, operam ludimus.

Huic scopo sequentia inservient.

℞. *conservæ boraginis, citri* a. ℥iß.
conditi nucis moschatæ ʒiij.
electuarii cyphoidis ʒij.
confectionis alkermes ʒiß, Sine moscho & ambra præscribatur, si fœmina hystericæ passioni obnoxia electuario hoc uti vult

hepatis lupi præparati ʒj.
perlarum præparatarum ℈j.
F. c. s. q. sirupi de cinamomo Electuarium; cooperiatur foliis ☉ri
D. S. opiata de qua sumatur ad magnitudinem nucis juglandis.

Medicamenta perlata in summâ virium imbecillitate pro ægrotis refocillandis ultimum esse asylum

Omnibus hoc lippis notum & tonsoribus, inquit *Vates* ille *Salmonensis*. Sunt tamen nonnulli, qui hanc reficiendi potentiam, omnium consensu comprobatam, in dubium vocant, ut *Duretus* in *Hollerium lib.* 1. *de morbis internis*, & *Platerus in quæstionibus posthum.* ipsisque saltem vim exsiccandi assignant. Huic autem iniquo judicio nemo Practicorum facilè sui calculi suffragium adjiciet.

Orientales eligendas esse præcipiunt, cùm sint efficaciores, & non perforatas, sed quibus adhuc centrum inest, teste *Eustachio*, nec ab ære infectas, quia tum ad usum medicum aptiores censentur. Si rem ad amussim pensitamus, metus inanis videtur.

Vel sequenti potione utatur.
℞. *aquæ buglossæ* ℥iij,
cordialis Herculis Saxoniæ,
citri è toto a. ʒvj,
cinamomi ʒß,
tincturæ corallorum ʒj,
⊖*is absinthii* ℈ß,
sirupi eupatorii ℥iß,
D. S. Potio

Sirupum de eupatorio in omni hydrope esse exhibendum monet Heurnius.

Experientiâ constat, solo ⊖is absynthii usu hydropem fuisse sanatum. Non enim solùm hepar confortat, sed & urinam movet. *Helmontius tractatu de potestate morborum* multum tribuit ⊖ibus scribens: *Sensi* ⊖*ia secedere per lotium & intestina, & resolvere sordes in illis meatibus ac expulsivam sui officii memorem reddere.*

Nari-

Naribus sequens balsamum admoveatur.

℞. *olei nucis moschatæ expressi* ℨj.
cinamomi, caryophyllorum,
macis ā *gutt. v.*
M. F. Balsamum.

Viscera si roborare est animus, sequentes rotulæ sumantur.

℞. *conservæ absinthii* ℨiß.
specier. aromat. rosat.
dialaccæ ā ℨj
coralliorum præparatorum ℈j.
extracti cinamomi ℈ß.
Sacchari in aqua melissæ soluti ℥iv.
F. confectio in rotulas
irrorentur ol. caryophyllorum gutt. v.

Conservam absinthii hepati singulariter prodesse, vult *Matthiol.*

Verùm non sufficit his medicamentis uti, sed necesse est, ut etiam diæta optima servetur: in illâ enim si vitium committeretur, hydropico idem accideret, quod illi, cujus *Laurentius & Schenckius loco citato* mentionem faciunt. Hic cum integram cerasorum libram comedisset inscio medico, superveniente alvi fluxu, & naturali œconomiâ labefactatâ intra biduum vitam cum morte commutavit.

δόξα τῷ θεῷ.

PRÆEXIMIO atq; PRÆSTANTISSIMO

DN. BARTHOLDO SIMONIS,

de invidendis in medicinali arte progressibus

gratulatur

FELICITER!

adclamans,

GUERNERUS ROLFINCIUS,

PHIL. MED. D. PRACT. ET CHIM. P. P.

ACADEMIÆ SENIOR.

QUeis exsiccari mediis hydropis acerbi
torrens, & sisti quei tumor iste queat,

pervi

pervigili ſtudio didiciſti, atque optima morbo
pharmaca ſolerti compoſuiſſe manu.
Perge Machaonias ſic illuſtrare Camœnas,
dexteritas tribuet præmia digna tibi.
Sint magni comites (hoc opto) laboris hono-
& tua gazarum ſit medicina ferax! (res,

PRodere porrò inſtes, quâ ſplendes, ingenii vim
SIMON, Camænarum decus,
Sic quondam docto exſtabis clariſſimus orbi,
Sic & tuis charisſimus.

laudabilibus conatibus applaudit

Johann-Arnoldus Friderici. D. P.P.

DUm genus hydropis declaras ponte cathedræ
Ingenii dotes prodis abundè tuas.
Doctor es incipiens, ſi perges Doctior eſſe
Laurea mox ſummo cinget honore caput.

pereximio
Dn. Reſpond. Medicin. ſtudioſo feliciſſimo, Amico, & Fautori ſuo honoratiſſimo de hoc egregio ſpecimine animitus gratulatur, & felix ad Batavos iter adprecatur

Johann. Caſpar Bowitz, Med. D.

PArmi ces choſes temporelles
Sur tout on aime la ſanté;
Dont la cure & vôtre Pieté
Vous meneront aux eternelles.

c' eſt une congratulation que fait à Monſieur le Reſpondent ſur la preſente Diſpute

Charle Caſſa, D. P. P,

FINIS.